



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris
Petri Marchantii**

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Titvlvs XIII. De Clericatus Natura.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

TITVLVS XIII.

De clericatus Natura.

Articulus Vnicus.

Quis dicatur Clericus.

1. Clericus propriè dicitur, qui signaculo tonsurę, ab Ecclesia instituto insignitus, in sortem Dei est designatus, ad officia, Ministeria, gradus & ordines assumendos. Tonsura vero est levis detonsio capitis ab Episcopo cæremonijs Ecclesiasticis facta, qua masculus Tyrocinio Ministeriorum Dei iniciatur. Significat autem tonsura Clericalis, puritatem vitæ & abjectionem rerum sæcularium. Famultij vero Dei & devoti animi ac mortificationis Christi Jesu symbolum est: Ritus Tonsuræ ut modo confertur consistit in quinque partita capillorum, detonsione, nimínam: in vertice, in occipite, in concipite & superaurem utramque, per modum utique crucis cuius mortificationem assumit.

2. Ex parte suscipientis primam tonsuram:

ram: Quinque potissimum conditiones requiruntur. 1. Ut Sacramentum confirmationis receperit. 2. Ut fidei rudimenta norit. 3. Ut legere & scribere sciat. 4. Ut non suscipiat judicis sacerdotalis fugiendi causa. 5. Ut genus hoc vitæ eligat & Deo fidelem cultum præstet: nam qui de obligatione sua sufficienter instructus, absque vero animo Clericatus tonsuram suscipit, juxta qualitatem obligationis peccat mortaliter, & à Clericatus privilegiis & ulterioribus promotionibus, manente animo averso, tenetur abstinere.

3. Privilegia Clericorum sunt potissimum quatuor. 1. Immunitas ab omni externa violentia, ut habetur, cap. si quis suadente Diabolo, vocaturque privilegium Canonis, 2. Privilegium fori, ratione cuius à judice sacerdiali eximuntur & coram illo conveniri non possint. 3. Exemptio à Gabellis principum sacerdularium. 4. Capacitas ad beneficia Ecclesiastica, & his privilegijs omnes Clerici à prima tonsura suscepta gaudent, si observent conditiones à Canonibus & specialiter à Concil. Trid.

I 5 requi-

requisitas. Nimirum : ut aut beneficium Ecclesiasticum habeant, aut clericalem habitum & tonsuram deferentes, Altari Ecclesiae ex mandato Episcopi deserviant, vel in seminario Clericorum aut aliqua schola vel universitate de licentia Episcopi, quasi in via ad suscipiendos maiores ordines versentur.

4. Clericus vero primæ tonsuræ ad nihil tenetur simpliciter, quia Clericatu potest renuntiare, unde omnia præcepta quæ in sacris Canonibus leguntur data Clericis intelligi debent, de ijs qui Clericalem statum in privilegijs profiteri volunt.

TITVLVS XIV.

De Obligatione hominis Christiani.

Articulus Primus,

Ad quid obligetur homo ex natura sua.

1. **H**omo ex natura sua obligatur ad Deum tanquam ad ultimum suum finem naturalem (quamvis supernaturali virtute) acquirendum. Ratio est: quia De creavit